

Albert Willebrand

Programma in Solennitate S. Angelorum

Rostochii: Kilius, 1663

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735638691>

Druck Freier  Zugang



89.

PROGRAMMA
in
SOLENNITATE
S. ANGELO-
RUM,

ab
Universitatis ROSTOCHIENSIS
RECTORE
ALBERTO WILLE-
BRANDO, U. J. D. Codi-

cis Professore, Consistoriiq; Duca-
lis Assessore,

P. P.

Sub sigillo Rectoratus



ROSTOCHII,
Typis JOHANNIS KILH, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXIII.



Edit ANGELORUM

memoria. Quùm varia cœteroqui sit scribendi commentandiq; de sanctissimis *Spiritibus* materies, tamen, solennitatis ejusce occasione, nunc quidem de isthacidolatris specie, quam *ἄγγελολατρείαν* appellitare sœvimus, perq; quam cultus indebitus ac religiola soli; DEO debita adoratio cœlestibus istis mentibus deferatur, nonnulla in medium proferre, sedet utique sententia.

Sanè si ex antiquitate rerum semper precia æstimare sit, diffiteri nemo temere habeat, nauci ac nihili non esse istam, quam præscripsimus, ANGELORUM venerationem. Cæterùm *veritas* auctoritasq; *non tempore æstimanda, sed numine*, ut præclare monitum *Arnobio* lib. 2. *contra gentes*. *Platonicos* (quæ satis eximia vetustas est) *ἄγγελολατρείαν* primùm invexisse utique legas. Hi ipsi tres naturæ rationalis gradus non tantùm dignitatis naturæq; majestate, sed etiam locorum intercapedine discretos, statuebant; ubi primus & summus esset Deorum principem quoque in cœlis sedem sibi vendicantium. Secundus & medius Dæmonum à lunæ collimitio ad nos usque expansorum (verba sunt *Apulei* l. de DEO *Socrat.*) Tertius demum & infimus hominum. Hosce ipsos verò Dæmones naturâ, dignitate locoq; inter DEUM & homines medios variis appellationibus indigitabant; ut l. dicerent *Interpretes salutisq;* apud DEUM *humanae curatores*, qui humana Diis exponeret, aut eadem ad ipsos trajicerent; divina ad homines

homines vicissim deferrrent. Sivè (ut est apud claris-
 simum Hipponensium Doctorem *August.*) qui ab ho-
 minibus auferrent desiderata, & referrent iisdem im-
 petrata: sivè, ut *Celsus* apud *Origen.* ait, qui hominum
 causas apud supremum DEUM adjuvarent; & per
 quos desideria & merita nostra ad Deos commea-
 rent; ceu qui ultrò citroq; hinc preces portarent, indè sup-
 petias. Quod profectò (quemadmodum Apulejus l. c.
 loquitur) mirari in Diis immortalibus minimè con-
 gruerit; cum alioquin & inter homines, qui fortunæ
 munere elatus, & usq; ad Regni mutabilem suggestum
 & pendulum tribunal evectus est, rarò adeatur longè
 remotis arbitris; in quibusdam dignitatis suæ pene-
 tralibus hærens. Enimverò parit conversatio con-
 temtum; raritas conciliat ipsa rebus admirationem.
 Persarum isti mores non incogniti; apud quos perso-
 na Regis sub specie Majestatis occultebatur. II. *Homi-
 num Presides* aiebant esse, & (ut Plato in *Critia* & *Prota-
 gora*) *Gubernatores & Pastores*; quorum nonnulli latis-
 simis terrarum spaciis procurandis destinarentur; alii
 clauderentur angustiis; cæteri urbibus integris
 præponerentur; quidam ex hominibus singulos tan-
 tum amplexarentur. III. *Largitores bonorum, malo-
 rumq;* averruncatores. *Ἀλεξίφραξ*; ex stylo veterum e-
 legantissimè pronuncies; vel etiam *δοκίμοι*; qui-
 bus Doctoribus sæpenuerò, nullo licet Doctore, res
 excogitentur miræ; perducanturq; ad exitum felici-
 ter, præterq; opinionem, quæ nostram cæteroquin
 excedere mensuram videbantur. IV. *Perscrutatores &
 arbitros cogitationum*; sic uti in homine præ istis custodi-
 bus, nec intra animum, nec foris, possit esse quicquam
 secreti, quin omnia participant, omnia visant, omnia
 intelligant, in ipsis penitissimis mentibus, vice concien-

scientiæ diverſentur. Quùm tantis elogiis proſeque-
rentur *Platonici* Dæmones, mirari minimè ſubeat, ſi i-
dem deſenſitârint, religioſè quoque colendos, & ſa-
crificiis placandos; ut quorum pars nocturnis, pars
diurnis gaudeant hoſtiis; alii præmtis, alii occultis,
lætioribus hi, triſtioribus illi ceremoniis ritibusq; de-
lectentur. Certum enim ibi fixumq; eſt, læſuros ge-
nus hominum (malos præcipuè Dæmones) ſi irascan-
tur, propterea quod negligentius tractentur, nec de-
bito cultu honoreq; afficiantur.

Hactenus de *Platoniciſ*. Sequuntur *Judæi*, qui
utique ipſi etiam fuere Angelolatræ. Docet nos *Hie-
ron*. Nihil, inquit ille, aliud quàm Dæmones & malos
Angelos colunt, ut parentum ſuorum imitari impie-
tatem videantur, qui, quod non rarè apud Prophetas
reprehenſum cernas, aſtra & *militiam cœli* (quo no-
mine non modò ſidera, ſed etiam Angeli intelligun-
tur) pro Diis venerantur. Nec minor aut infirmior
teſtis eſt *Clemens Alex.* lib. 6. *Stromat.* Judæos, ut qui
ſoli ſe DEUM noſcitare exiſtiment, neſcire ſe adorare
Angelos, Archangelos, menſem & lunam. *Baronius*
Tom. 1. Ann. ad an. 60. num. 15. 16. Non recens, *in-
quit*, fuit hæc apud eos illa ipſa hæreſis, ſed pervetuſta,
à Prophetis ſapius exagitata, quam non aliundè pu-
tamus ortam, niſi quod, ut de *Phariſæis* tradit *Epiphanius*.
ipſa cœli aſtra fuiſſe animata exiſtimarent, quam ob-
rem & iisdem indidiſſe nomina Ebraica, & Angelos
eſſe ſenſiſſe videntur; æquè enim ac Angelos mili-
tiam cœli dixerunt aſtra. Et paulò poſt: Ut ſic Judæi
aſtra colerent, non fuit tunc tantùm apud eos error,
ſed & in poſteros eſt infeliciter propagatus, adeò ut,
quoniam ejuſmodi errori eſſent addicti, *cœlicola* dice-
rentur. De *Eſſeis* expreſſè adſertum *Joſepho*, quòd So-
lem

lem venerentur. Ante Solis, ait, ortum nihil profani loquuntur, sed eidem patria quædam vota celebrant, quasi, ut oriatur, precantes. De iisdem *Salmanticensis*: Si animadverterit, inquit (*Præses*) signum aliquod aut arcanum in lege, patefaciet illud Sociis suis, non aliis, & super omnia custodiet legem Mosis, HONORABITQ; NOMINA ANGELORUM. Ecce! utroque respectu, & a- strorum sc. & multò magis Angelorum, in Judæis *celesticolæ*. Porrò mortalium, quos Sol unquam adspexit, nequissimum *Simonem Magum* sub initium Evangelii professum esse Platonis sententiam; offerenda scilicet esse sacrificia DEO per principatus & potestates, Bellarminus Auctor est. Baronius autem, Cardinalis Cardinali contrarius, hujuscemodi errorem eidem præter rem & falsò attribui, operosissimè contendit. Nos litem non facturi sumus nostram. Quanquam ipsi etiam haud inviti credimus, factam *Simoni*, ac *Simonianis*, abs Bellarmino injuriam; locosq; Irenæi, Epiphaniæ, ac Theodoretæ falsò in eam sententiam, impertinenterq; allegari. Seqvuntur *Angelici*, qui in Angelorum cultum inclinaverunt, uti *August.* de hæres. ad Quodvultd. c. 39. auctor est. *Chrysostomus* quoque hom. 7. in Epist. ad Coloss. esse quosdam, ait, qui dicant, non oportere per Christum adduci, sed per Angelos.

Theodoretus item in cap. 2. Epist. ad Coloss. hæresin, dicit, illam tempore Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ exortam, quæ statueret DEUM universorum nec cerni nec comprehendere, nec ad eum posse perveniri, & oportere per Angelos divinum sibi conciliari favorem atque benivolentiam. Qui legem, inquit eximius Scriptor, defensionabant, ii verò ad Angelos colendos inducebant, causati, fuisse latam per illos legem. Cæterum oppidò diu id vitii in Phrygiâ, Pisidiâq; permansit.

mansit. Cautumq; eidem per Synodum est. Nam
quæ Laodiceæ (Phrygiæ ea est Metropolis) coivit, le-
ge vetuit, ne invocarentur Angeli. Lex est ista: Non
oportet Christianos abire derelictâ Ecclesiâ, & ad *An-
gelos* idololatriæ abominandæ congregationes facere.
Surius *angulos* legit. Sed corruptela est manifestissi-
ma. Quam nec Gentianus Hervetus, imò nec ipse
Baronius, nec Franciscus Sylvius, aliq; è Pontificio-
rum numero (tanta vis veritatis est!) reticent. Progre-
diemur:

Colossis sub Laodicensi Metropoli positis anti-
quum viguisse cultum *Michaelis Archangei*, auctor est
jam cit. Baron. non quidem isthoc sensu, uti eum tan-
quam DEUM venerarentur, sed veluti præcipuum
DEI ministrum quendam honorarent. Fides sit pe-
nes auctorem, sublestæ, sexcentis profectò locis, fidei.
Sanè adsertum uti firmet suum *Baronius*, non nisi re-
centissimos quosq; commendat. Poterat esse, ut ista
quondam Colossis fierent: oppido tamen facta fuisse
ferò, prorsus existimemus. Enimverò paulatim pri-
mitivæ Ecclesiæ puritas atq; integritas defecit, cape-
runtq; omnia in pejus ruere, & retrò sublapsa referri.
Photiniani hodierni statuunt, non quidem jam, sed in
V. T. tamen Angelos adorare licuisse. Smalz. refut.
Smiglec. *Pontificii* (ut ad eos tandem dilabamur) An-
gelolatræ sunt, si qui ulli alii. Sanè quidem, uti cri-
men ab se amolirentur, magno operam dederunt co-
namine, usiq; adeò variis hinc inde emendicatis man-
ticulis, ne latrariam Angelis, sed duliam tantùm religio-
sam deferre viderentur. Cæterùm fucum faciunt,
in cautioribus saltè imposituri. Certè quæ vigent
in scholâ pontificiorum, quantum ad hanc rem atti-
net, dogmata, eaverò ita comparata sunt, uti claris-
sime

simè monstrant, quo ipsi cultu Angelos afficiant, λα-
γγείων esse soli immortali ac increato DEO in Scripturis
sacris vindicant. Enimverò sunt in isto grege, qui
ajant, imò totis viribus tueantur, Angelos gemitus,
desideria & cogitata cordium nostrorum scire. *Becanus*:
Angeli optimè cognoscunt ea, quæ apud nos gerantur;
cognoscunt internam conversionem & pœnitentiam
peccatoris, cognoscunt omnem cultum, quem DEO
exhibemus. Alibi: Angeli optimè preces nostras no-
verunt. *Drexel*. Sagacissimis Spiritibus hisce facilè est
assequi, quid clausum sit animo. Quin plurimi pontifi-
ciorum adseverant, Sanctos in Cœlis viventes ex An-
gelorum revelatione habere ea, quæ fiunt in his terris,
etiam quæ solo cordis affectu proferantur. Hinc mira
quadam celeritate quodammodò ubiq; Angelos esse
defenditur, uti audire eò rectiùs preces supplicantium
possint. *Bellarmin.* lib. 1. de beat. S. c. 20. Idem paullo post:
Nullus horum est, qui non ubiq; omnia videat. Certè
per Angelos preces DEO nostras offerri, toties apud
Pontificios docetur, uti exscribere locos difficilè sit,
& tantùm non ἐν ἑὶ ἐδυνάτων. *Pineda* in jobū (saltèm hoc
unico usuri jam testimonio sumus) Legati, inquit, sunt
Angeli inter nos & DEUM; deferunt nimirum ad nos
DEI voluntatem, & mandata nostra item ad illum per-
ferunt, & vel nostras actiones, vel nostra bona opera,
repræsètant, resq; ipsas nostras in meliorem partem
interpretantur, ut nos cum DEO reconcilient. *Idem*:
Non incommodè dicetur, aut intelligetur, venisse
Angelos, ut adstarent coram Domino oraturi, & pia
opera, sacrificia, precesq; *Jobi* oblaturi DEO. Sed & per
Angelos juramenta præstari posse, Pontificiorum utiq;
est sententia. In quâ rem citant Justin. Imperat. Authen.
in append. Nov. 8. quo loco jusjurandum, quod exsolvi-

utr

tur ab his, qui rerum administrationi præficiuntur, ita inter cætera habet: *juro & per sanctos Archangelos, Michaëlem & Gabriëlem.* Nec abnuunt iidem, templam erigenda Angelis esse *ad cultum: Becanus:* Tempora quæ DEO principaliter ad sacrificandum erecta sunt, quasi secundario referre in honorem sanctorum licet (multo magis Angelorum) ad memoriam eorundem ibi recolendam, *vel ad patrocinium invocandum.* Quin Angelos ut datores beneficiorum malorumq; aversores, seu ἀλεξίμηνους (quâ voce, quum de Platonicis supra ageremus, uti meminimus) suppliciter ac religiosè invocandos, pontificiorum testimoniis firmari adeo clare potest, uti ipsa solis lux, quum sudum est, clarior esse non possit. Sine ullis enim involucris aut ambagibus ista passim adseveratio inculcatur. Et vel solæ litaniæ publicæ abundè facturæ sint fidem. Nos plusculam indè exscriberemus, si paginarum saltem passura foret angustia; dudumq; jam alii isthoc nos labore non sublevavissent. Nostri fuerit, CIVES ACADEMICI, in Sanctissimas hasce mentes nil quidem honoris conferre, quod DEO & ipsarum, & nostri omnium Conditori soli debeat, quodq; ipsimet nec admissuri sint (Apoc. 19. v. 10. it. 22, v. 8. 9.) reverenter tamen easdem pieq; jugiter habere; quumq; destinati custodiae sint nostræ Spiritus, omnino facere, ne vitiis ac sceleribus nostris abs nobis arceantur. Nil castissimis istis cum foeditate ac spurcicie commercii. Vivendum ita utiq; fuerit, uti non in venturâ saltem, verum hac ipsâ etiam jam vitâ simus *ἰοῦ γγελῶσι.*

Valere.



simè montrent, quo ipsi cultu Ange
 ζεείων esse soli immortalī ac increato DEO
 sacris vindicatam. Enimverò sunt in
 ajant, imò totis viribus tueantur, An
 desideria & cogitata cordium nostrorū
 Angeli optimè cognoscunt ea, quæ ap
 cognoscunt internam conversionem
 peccatoris, cognoscunt omnem cult
 exhibemus. Alibi: Angeli optimè pr
 verunt. *Drexel.* Sagacissimis Spiritibus
 assequi, quid clausum sit animo. Quin
 ciorum adseverant, Sanctos in Cœlis
 gelorum revelatione habere ea, quæ fi
 etiam quæ solo cordis affectu proferan
 quadam celeritate quodammodò ub
 defenditur, uti audire eò rectiùs prece
 possint. *Bellarmin.* lib. 1. de beat. S. c. 20. Id
 Nullus horum est, qui non ubiq; omni
 per Angelos preces DEO nostras offe
 Pontificios docetur, uti exscribere
 & tantum non *ὁμολογῶν ἀδυνατώων.* *Pineda* in j
 unico usuri jam testimonio sumus) Le
 Angeli inter nos & DEUM; deferunt
 DEI voluntatem, & mandata nostra it
 ferunt, & vel nostras actiones, vel nos
 repræsentant, resq; ipsas nostras in m
 interpretantur, ut nos cum DEO rec
 Non incommodè dicetur, aut intell
 Angelos, ut adstarent coram Domine
 opera, sacrificia, precesq; *Jobi* oblatu
 Angelos juramenta præstari posse, Pon
 est sententia. In quâ rem citant *Justin.* In
 in append. Nov. 8. quo loco jusjurandū

